

D F N

1604





00  
1A  
0020

+





Huic librum ego M. Casparus  
pauker catholice Hymnographus  
pastor curpi a Robertum  
u. Doctiss. Viro Dn. Da-  
nicho Fugmanno Junior  
Diacono catholice Hymnographus  
9. Idibus Ap 1605.







DISPUTATIO BIBLICA VI.

*in qua*

DE QVAESTIONIBVS

NONNVLIS INTRICATIS, QVAE

CAPITE SEXTO GENESIOS

continentur, breuiter

differitur,

*Ad priuatam συζητησιν proposta*

à

SALOMONE GESNERO S.

THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-

fessore in Acad. VViteb.

Respondente

M. ZACHARIA SOMMERO

Friedebergensi Silesio.

Habebitur ad diem 8 Febr. loco & horis  
consuetis



VVITEBERGAE,

Typis VVolfgangi Meisneri, Anno

M. D. XCVIII.





MAGNIFICIS, CONSULTISSIMIS, ERUDITIONE.

PRUDENTIA, PLVRIMOQVE  
rerum vfu clarissimis  
viris.

Dn. LEONHARTO ELVER

Dn. GEORGIO TOBING

Dn. LVDOLPHO à DASSEL

Dn. HEINRICO VVITZENDORP

inclutæ Lunæburgensium vrbs consulis dignissimis.

D. D. CAMERARIIS, cæterisq; Augustissimi ordinis senatorii, eiusdem REIPUBLICAE amplissimis atque existimationis grauisimæ viris.

*Dominis & Mecænatibus suis perpetua  
animi subiectione honorandis, obseruan-  
tiæ & gratitudinis ergo*

Submissè offert & nuncupat.

M. ZACHARIAS SOMMER.  
*Fridebergensis.*



## THESES.

### I.

**R**ia sunt membra historię de cataclysmo & vniuersali diluuiio. Nam capite sexto Gen: τὰ ἡγούμενα, quę antecessa sunt, recitantur: capite septimo & parte octauı τὰ περὶ χεῖρα, rei ipsius descriptio continetur: caput autem octauum reliquū & nonum τὰ ἐπόμενα, quę inde consecuta sunt, exponit: de antecessis nos ea saltem in pręsente disputatione excerpemus. quę disquisitionis necessitatem flagitant: doctrinas, consolationes, exhortationes & reliqua è concionibus, lectionibus & commentariis petenda relinquimus: id quod in sequentibus quorūq; disputationibus obseruabimus.

### II.

In antecessis verò duo commemorantur causarū genera, quorū alterum libet appellare φθαστικόν, alterum σωστικόν: quandoquidem illo, vnde interitus impiorum, isto autem, ex quo conservatio piorum provenerit, describitur.

### III.

Causę igitur φθαστικαί, quę interitum impiorum hominum omniumq; creaturarum antecedunt & concitant, duę sunt, vna est προκαταρκτικὴ & irritatrix, altera ἀφ' ἧς, id est, principale agens in pœna sceleribus infligenda.

*Questio prima de peccatis, quę diluuium concitarunt.*

### IV.

Peccata hominum prouocasse diluuium, non modo Moses, sed etiam Christus. Matth. 24. & Petrus 1. Petr. 3. 2. Pet. 2. 2. Pet. 3. perspicuè affirmat. Itaq; non ex astrorū situ, neq; constellationibus, multo vero minus ex absoluto Dei decreto publica hæc generis humani calamitas orta est.

### V.

Quę autem fuerint primi mundi scelera, non obscure è verbis historię colligitur. Ac quemadmodum D. Ioannes, Ioan. 2. omnia mundi peccata in tres classes refert: Ita Moses vniuersa



sam colluuiem peccatorum, quæ in primo illo mundo dominium obtinuerunt, ad easdem reuocat, vt eleganter exponit Cyrillus lib. 3. in Gen.

#### VI.

Nam principio Spiritus Sanctus de ἐπιθυμία σαρκός, concupiscentia carnis & nefaria libidine ita conqueritur, cum ait: *Promiscue libidines in primo mundo.* Cum coepissent homines multiplicari super terram &c. Non enim hisce verbis legitimus coniugii amor, sed illicitus vagarum libidinum furor damnatur Gen. 2. 18. Matth. 14. 38. Non illi ob desiderium procreandorum filiorum conueniebant, sed ob voluptatem & intemperantiam, vt exponit Chrysoft: Et Augustinus lib. 15. C. D. cap. 23. eruditè vrget emphasin particulæ (genuerunt SIBI) prius enim Deo, inquit, generare debebant, non sibi, id est, non familiam fastus sui, sed ciues ciuitatis Dei.

#### VII.

Fuit istud peccatum omnibus commune. Alterum delictum est ἐπιθυμία ὀφθαλμῶν, oculorum lasciuia, quæ filijs Dei adscribitur. Viderunt enim filias hominum quod formosæ essent. Nam eiusmodi libidinosus incuitus mulierum non minus scortatione ipsa coram Domino peccatum est, Matth. 5. 29, Syr: 41. 25 Psal: 119. 37. Iob. 31. 1. Tutius enim est non aspicere, quod non licet concupiscere: secundum Gregor. & Hugonem.

### Quæstio 2. de filijs Dei & filiabus hominum.

#### VIII.

Qui sint filij Dei non parum olim disceptatum fuit, sed facilis est explicatio: Naturales enim filij Dei nulli sunt, præter vnigenicum Dominum nostrum Iesum Christum, in quem *Vni naturalis filius Dei.* nulla vllius peccati cadit suspicio Esa. 53. Ebr. 7. Ioan. 8. 1. Ioan. 3. v. 5.

#### IX.

E creaturarū ordine angeli boni quandoq; (Iob. 1. & 38) licet id neget Chrysoft: hom. 32. in Gen. & homines nomen filiorum Dei.



Dei fortiumtur non ex natura, sed gratia: Nunquam diaboli, licet Diaboli  
illi filij Dei in Ecclesia triumphante sese permisceant Job. 1. non sunt  
Reg: vlt: & in angelos lucis in militante fidelium coetu transmu- filij Dei.  
tent 2. Cor. 11.

X.

Proinde mirum est, quid in mentem venerit illis, qui de  
diabolis incubis hæc verba interpretati sunt, præsertim cum  
scopus etiam historix non diabolorum, sed hominum malitiam  
describat, eamq; divinitus vindicatam commemoret, quo argu-  
mento Lyra Rabinorum nugamenta evertit.

XI.

Fabulam eam de angelis incubis & succubis in apocry-  
pho Enochii libro extitisse Augustinus testatur. Et Iosephus *Fabula de*  
lib. 1. Antiquit: cap. 4. ἰσθαιζωυ id asseuerat. Quamuis istum *Diabolis in*  
Zonaras excuset, quod per angelos Sethi filios intellexerit Septua- *cupis.*  
ginta quoq; interpretes Ebream vocem Beni Elohim reddidisse  
ἄγγελοι δὲ angelos seu nuncios Dei, Augustinus & Cyrillus  
hoc loco annotant: licet ea exemplaria 70. virorum, quæ nunc  
habemus, aliter legant. Lactantius eidem errori lib. 2. c. 15.  
astipulatur, vt & Eusebius lib. 5. εὐαγγ: παρασκ: nec non A-  
thenagoras & Iustinus Christiani philosophi, & Tertullianus,  
qui inde virgines adhortatur, vt faciem suam velo contegant, a  
deo videlicet periculosam, (ipsius verba refero) vt ad coelum vsq;  
scandala iaculata sit in lib. de vel. virgin.

XII.

In errorem, quæ Philostrius Brixensis Episc: c. 108. sui catalo-  
gi hæresin nuncupat, decepti ambiguitate appellationis (angelo-  
rum) inciderunt, de natura eam intelligentes, quam de mini-  
sterio sanctis patriarchis cum castis spiritibus communi ac-  
cipere debebant. Diuinæ enim voluntatis erant nuncij. *Angelus nō*  
*natura sed*  
*officij nomō*

XIII.

Ideoq; Augustinus eos lib. 15. C. D. cap. 23. gravissimè  
refutat.

XIV.

Cui subscribit Chrysostomus hom. 22. in Genes. vbi sic  
tandem concludit: Quanta dementia plenum fuerit, inquit dis-  
cere, angelos deiectos vt cum mulieribus rem habeant, & in  
A 3 corporea



corporea illa natura copuletur corporibus? An non audis **Do-**  
**Angeli** **cū** **minum** dicentem de angelorum substantia: In resurrectione neq;  
**mulieribus** matrimonium contrahunt, neq; elocantur, sed sunt, sicut angeli  
**rem non** Dei Matth. 22. Luc. 20. Hæc ille.  
**habuerunt**

XV.

Merito proinde Theodoretus quaest. 47. in Gen. istos in-  
terpretes nominat ἐμβροτητές καὶ ἄγαρ κλιδίτες, stupidos &  
nimium stolidos. Rationemq; ibidem adijcit. Quod si angeli filia-  
bus hominum permixti essent, homines ab angelis fuissent iniuria  
affecti quia vi filias horum corrupissent. Iniuriam quoq; passi ef-  
sent a Deo creatore. & quod angelos ministros suos non puni-  
visset. Ideoq; Theodoretus ait: Ἀλλὰ ταῦτα οὐδὲ οἱ μοι, φάνοι  
τολμῶσαι τὸ π τὸ ψεύδου πατέρα.

XVI.

**Ecclesia** **Patriar-** **charū** **ba-** **buit** **nomē** **filiorum** **Dei.**  
Ecclesia proinde patriarcharum ante diluuium nomine fi-  
liorum Dei συνεκδοχικῶς insignita fuit. Nam a potiore fit de-  
nominatio, ut sentit Augustinus in Genes. quaestione 117.

XVII.

Quod enim fideles in scriptura nominentur filij Dei, pla-  
num est Rom. 8. 14. Rom. 9. 8.

XVIII.

Quod autem eadem appellatio tribuatur promiscuo Eccle-  
siae coetui, id quoq; minime dubium Os. 1. v. 10. Rom. 9. v. 16.  
Psal. 29. v. 1. 82. v. 6. Ioan. 10. v. 34. Nam impij sub titulo filiorum  
Dei moribus filiorum Sathanæ vivunt.

XIX.

Augustinus lib. 15. C. D. cap. 23, & Hieronymus in quaest.  
hebraicis tradunt, Aquilam filios Elohim reddidisse, filios deorū,  
& intellexisse Magistratus, & Principum filios, iuxta psalmi. 82.  
Exod. 22. similem phrasin. Ridiculum verò est, quod Rabbi  
Selomoh hinc infert, peccatum, propter quod Deus primum  
mundum diluuiò deleuit, fuisse, quod principum filij filias homi-  
num plebeiij ordinis, et liberi seruas vxores duxerint.

XX.

Sed aliter Theodoretus quaest. in Gen. 47. Aquilæ mentem  
explicat, ubi tandem concludit; υἱοὶ θεοῦ ἐχρημάτισον ἕως  
σήμερον



δι καὶ ἡμεῖς ἐκ τῆς τῆς θεοπατρὸς χριστὸς προσκηγορίας χριστιανοὶ καλοῦμε  
δα: eamq; filiorum Dei appellationem à Setho coepisse, eo quod  
ille primus ministerium docendi publicum exorsus est Gen. 4.  
non ineptè colligit.

Filij Dei  
ante dilu-  
vium, vñ  
nos Chri-  
stiani.

### XXI.

Cum quibus facit Chaldaeus, qui istos Benei Elohim nun-  
cupat Benei Rabrebaia, id est, filios Rabbiorum, seu prima-  
tum, vt & Symmachus vertisse, ἱερεῶν ἀναστροφῶν, à Hieronymo  
perhibetur.

Filij Rabis-  
torum.

### XXII.

Cedrentus & Suidas illos nominant ἐγρηγόρησες, hoc est, vis-  
giles, quod eorum officij fuerit pro salute generis humani ex-  
cubias agere, quo nomine alioquin prophetæ nuncupantur  
Thren. 4. vt & speculatores Ezech. 33. & videntes passim. Vñ  
de rectissimè infert Hugo, punita in istis fuisse promiscua cum  
infidelibus & impijs coniugia, quæ Deus alioquin grauissimè  
prohibuit Deuter. 7. Nehemix vlt.

Egrogori  
vigiles.

### XXIII.

Quod filia hominum filios Dei pulcritudine sua attra-  
xerint scriptura dicit, sed interim non excluduntur alia volupta-  
tum illecebræ, de quibus Christus ait, quod ætate Noæ ante di-  
luvium strenuè helluati sint Matth. 24. Luc. 17.

### XXIV.

Nec alienum à veritate, quod Theodoretus addit,  
instrumentis musicis, à Tubal excogitatis, filios Dei à  
scortis Cainæis illectos fuisse: quemadmodum Midianitarum  
filia Israëlitas commestationibus in fædæ libidinis consortium  
attraxerunt. Ps. 116. Num. 25. 1. Cor. 10.

Filiae ho-  
minum  
psaltrias.

*Questio 3. de eo, quod sancti non gene-  
rent filios sanctos.*

### XXV.

Vnde sequitur, fidem & iustitiam fidei parentibus pijs in

fidei  
liberi non  
accipiunt



*fidem à pa-* sobolem naturali propagatione minimè derivari, nec aliter  
*rentibus* quenquam in numerum verè electorum filiorum Dei ascribi,  
*per natura* quam per regenerationem, Ioan. 3. propriamq; fidem Abac. 2.  
*tem propa-*  
*gationem.*

XXVI.

Quod enim nascitur ex carne, caro est. Ioan. 3. 1. Cor. 15.  
Gen. 5. Ezech. 18.

XXVII.

*Martyr in* Petrus Martyr mirè se torquet in explicanda Apostoli  
*commen-* sententia Rom. 11. si radix sancta, rami quoq; sunt sancti, & post  
*caris Epi-* multa sic infert: Remitti infantibus sanctorum parentum pec-  
*stole Rom.* catum originis, licet eosdem fide in Christum carere ibidem as-  
severet.

XXVIII.

Rectè autem Augustinus epist. 106. sanctitatem istam, de  
qua Paulus Rom. 11. non de sanctitate & iustitia fidei, sed de  
communione Sacramentorum & similitudine professionis inter-  
pretatur.

XXIX.

*Iusti non* Ec verè idem Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli præ-  
*generant* sentem quæstionem dissolvit, ita scribens: Quando Pelagiani  
*liberos iu-* dicunt & parvulos turbant: Si de peccatore peccatores nati sunt,  
*stos.* quare non de baptizato iam fideli, cui remissa sunt omnia peccata,  
iusti nascuntur? Cuiò respondete, Ideo de baptizato non  
iustus nascitur, quia non eum generat, vnde regeneratus est,  
sed vnde generatus est. Quod nascitur de carne caro est. Quæris  
ut de iusto iustus nascatur, cum videas iustum esse nisi regenera-  
tum omnino non posse. Miraris, quare peccator nascatur de se-  
mine iusti, non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de  
semine olivæ? Accipe aliam similitudinem, iustum baptizatum  
pone granum purgatum. Non attendis, quia de grano purgato  
frumentum cum palea nascitur, sine qua seminatur.

*Quæstio quarta de incubis & succubis.*

XXX.

Ac tamen ex superioribus constet, quo pacto verba Mo-  
sis



sis de filiis Dei & filiabus hominum accipi debeant, attamen cum interpretes fere omnes hoc loco, sumta occasione ab explanatione Rabinorum, quærere soleant, quid de incubis dæmonibus sentiendum sit, operæ precium est, paucis illam quæstionem ὡς ἐν παρῳδῳ attingere. Licet Augustin. quæst. 3. in Gen. asserat, non facile esse de hac re definire sententiam.

XXXI.

Non intelligimus autem incubum morbum, quem πνίγμονα καὶ πνίγαλίωνα seu ephialten appellant. Sed hoc quærimus, vtrum dæmones cum lamiis & veneficis verè rem habeant, & vtrum è tali coitu soboles nascatur, qualisq; ea sit.

XXXII.

Negat, id fieri posse, Ioannes VVierus lib. 3. cap. 24. 25. & An diabolus sequentibus. Cui Cyrillus lib. 3. in Gen. astipulari videtur.

li cum mulieribus

XXXIII.

Chrysofostomus idem confirmat hom. 22. in Gen. cum ait. Quis enim valde insanus comprobaret talia verba dementiæ plena, quod incorporea & spiritualis natura corporis complexum ferret?

rem habent.

XXXIV.

Quod sanè in concilio quoq; Anquirensi comprobatum esse parte secunda decretorum causa 26. quæst. 5. c. Episcopi, & c. affirmatur.

XXXV.

Verùm non pauca sunt, nec dubia, quæ hisce autoritatibus opponi possunt. Vnde etiam Augustinus lib. 15. de civ. D. cap. 23. impudentiæ ait esse, istud negare, quod de Siluanis, Fau- nis, & Dusis in Gallia vulgo compertum sit. Ac principio quidem non inficias eo, diabolum sæpissimè præstigiis animos hi- bi credentium decipere. Quod autem nunquam aliquid veri & solidi in operibus eius insit, id ex ista ratione minimè existimo.

Diabolus in forma Silvano rum & Dusorum.

XXXVI.

Itaq; Aquinatis distinctio locum habet, quam parte prima summæ quæst. 15. art. 4. tradit, ita scribens. Quamuis huiusmodi opera dæmonum, quæ nobis miracula videntur, ad veram rationem

Diabolus aliis inani bus spe- tris ludit

B



rationem miraculi non pertingunt, sunt tamen quandoque veræ  
alias reip<sup>o</sup> res, sicut magi Pharaonis per virtutem dæmonum veros serpen-  
sa homines & ranas fecerunt. Et quando ignis de cælo cecidit, & fami-  
inuadit. liam Iob cum gregibus pecorum vno impetu consumpsit, & tur-  
bo domum deiiciens, filios eius occidit: quæ fuerunt opera  
Sathanæ, phantasmata non fuerunt. Hæc Thomas.

XXXVII.

Atque eadem distinctione Augustinus Apostoli sententiam  
2. Thess. 2. de diaboli σημείωις ἢ τέρασιν. ψεύδους exponit lib. 20.  
de C. D. c. 19.

XXXVIII.

Neque multum firmamenti habet Chrysostomi & Cyrilli ar-  
gumentum, quod aiunt: Spiritualem creaturam cum corporea  
commisceri non posse, nec semen habere corporeum.

XXXIX.

Diabolus  
esse aerea  
animalia  
August.

Non assentimur equidem Augustino, qui super Gen. &  
lib. 8. de Civ. D. cap. 15. cum Apuleio, diabolos perhibet aërea  
esse animalia. Cum aer quoque sit corpus: Spiritus autem omni  
corpore careat Luc. 24.

LIX.

Diabolus  
quomodo  
cum Vene-  
ficis con-  
grediatur.

Sed istud adductis rationibus obuertimus, quod Diabo-  
lus equidem sua natura semine careat: nec verò etiam nudus cum  
Empusis congrediatur. Nullus siquidem inter corpus & Spiritum  
contactus est. Quando autem Deus, propter hominum peccata,  
illi permittit, principi aeris difficile non est, ex aere, aliove ele-  
mento corpus conflatum induere, aut in cadauer ingredi, aut  
bestiarum & obsessorum corporibus abuti. Quemadmodum se-  
mina lasciuis ac mollibus, qui in ipsius potestate sunt. 1. Cor. 6.  
subducta illum in lamiarum sinus infundere nemo dubitat.

XL I.

Miræ his-  
torie de  
artibus de-  
monum.

Quod sanè ex historiis, de Cytharistria illa Italica, de vir-  
gine Erphurdiana, de mortua nobilis cuiusdam coniuge, in-  
colloquiis Lutheri fol. 212. 213. & alibi clarum est. Idemque stratage-  
ma impurissimus Spiritus exercuit, cum in serpentis corpus  
successit Gen. 3. & in porcos commigrauit Luc. 8. cum è co-  
lubris, bubonibus, arboribus, lapidibus, fluminibus inter  
ethnicos oracula edidit.

XL II.

Iulianus Apostata fabulam esse dicebat, quod diabolus è  
serpente cum Eua collocutum esse credimus. Cyrillus autem,  
cum



tum illum sacrarum literarum auctoritatem aspernari sciret, ex ethnicorum scriptis blasphemiam eius retundit, ostendens, im- mundis Spiritibus non esse difficile talia attentare. Nam Home- rus libr. 19. Iliados affirmat, Achillis equum, cui nomen Xan- tho, cum hero suo colloquutum mortē illi prædixisse. Porphyrius Iuliani socius & calumniarum in Christianos pater tradidit, flu- men Causum Pythagoram, cum multis alijs transeuntem, salutasse, & clara voce omnibus audientibus compellasse. Philostratus item annotavit Ulmum arborem voce articulata ac muliebri cum Apollonio philosopho collocutā esse. Quin & Isigonus Cittien- sis in Rhodo insula, dicit, Iovis taurum sermonis nostri non fuisse expertem: Et Dodonæam quercum humana aiunt voce usam, Cyrill. libr. 3. contra Iulianum.

XLIII.

Ac quanta vafricie diabolus in decipiendo fœmineo sexu utatur, non modo ex Evæ lapsu, sed ex alijs quoq; probari posset, & manifestum illud est è Iovis amoribus & congressu cum Io, quam forma tauri indutus oppressit, cum Danae & similibus: licet poetæ varia de istis fabulentur.

XLIV.

Non debet autem hæc diaboli, licet κοσμοκράτορ Eph. 6. nec tamen παντοκράτορ, potentia in infinitum extendi, sed iuxta regulam Augustini lib. 3. de Trini. cap. 8. determina- ri: Non putandum est transgressuribus angelis ad nutum serui- re hanc visibiliū rerum materiam, sed Deo potius, à quo hæc potestas datur, quantum in sublimi sede incommutabilis iudicat.

XLV.

Neq; idcirco diabolus creator est, si pro subtilitate sui sensus & corporis, (circumpositi) semina rerum istarum no- bis occultiora nouerit, & ea per congruas temperationes ele- mentorum latenter sparserit, atq; ita gignendarum rerum & ac- celerandorum incrementorum præbuerit occasiones. Sicut nec parentes dicimus creatores liberorum, nec agricolas frugum: ut Augustinus lib. 3. de Trin. cap. 9. & libro 12. de Ciuit. D. cap. 24. 25. docet. Aliud enim est ex intimo ac summo causarum cardine condere: aliud pro distributis à Creatore viribus fo- rinsecus aliquam operationem adhibere: ut Idem explicat.

*Discrimen  
inter crea-  
re & fimo  
gere.*

XLVI.

Ac quod de diabolorum in corpora immigratione, idem



Rationes quoque de infantum illorum, qui inde vel prodeunt vel prodire  
huius sententia videntur, corporibus statuendum esse, Lutherus indicato loco  
significat.

XLVII.

1. Confirmatur hæc sententia considerata immani diaboli ma-  
litia & nocendi cupiditate, qua circuit vt leo rugiens, & quærit  
quem deuoret, 1. Petr. 5, Hiob, 1.

2.

XLVIII.

Nec deest illi calliditas, subtilitas, experientia, scientia,  
potentia, quando Deus concedit: Eph. 6, Ex. 7. & 8. Leuit.  
Marc. 7. & 9. & c. 20. pl. 58. Act. 19 vt in Euangelica historia obsessi documento  
sunt Mar. 5. v. 1, Matth. 8. 28. Luc. 8. 26. Permittit autem Deus  
alias in pœnam malorum, Ex. 8. Eph. 2. 2. Theff. 2. 1. Tim. 4. alias  
in δοκιμασία & laudem honorū: Hiob. 12, Cor. 12. vt Augustin.  
lib. 3. de Trinit. cap. 8. distinguit.

Pseudo

Samuel

excitatus.

XLIX.

Exemplum Sathanicæ calliditatis nobile est in excitati pseu-  
do samuelis historia, 1. Sam. 28. de qua Augustini hæc est ἐπίκρισις  
Duobus, inquit, titulis subtilitatem fallaciæ prodidit impro-  
uidus Satanas: & adorari se permisit sub habitu & nomine Sa-  
muelis, contra legem: & virum peccatis pressum (Saul) cum  
magna distantia iustorum & peccatorum sit, cum Samuele iu-  
stissimo futurum mentitus est, Decret. part. 2. causa. 26. C. 17.  
August. quæst. vtriusque Testam. 27.

3.

Christus à

diabolo

transportatus.

L.

Et quid in hominibus tum lædendis, tum fallendis Satanas  
intentatum relinqueret, cum Saluatorē nostrum aggredi non sit  
veritus Matth. 4. Non enim est mirū, vt ait Anselmus, si Christus  
permisit se transportari à diabolo, qui permisit se leuari in cruce  
à membris diaboli.

LI.

Quæstio V. de spiritus Dei disceptatio-  
ne in homine.

Spiritus Dei disceptat in hominibus.  
Quod porro Dominus dicit: Non disceptabit Spiritus meus  
in homine perpetuò, ea verba eiusmodi scrupulum nobis obii-  
ciunt, quod vbi hebræa veritas legit, Spiritus meus non litigat  
bit in homine, septuaginta reddiderunt, non permanebit Spiritus  
meus in istis hominibus in æternum. Quæ interpretatio ni-  
hil



hil amplius innuit, quam temporalis vitæ decurtationem, sicut etiam Chaldæus eò respicit, cum ait: Non permanebit generatio hæc pessima coram me in æternum,

LII.

Diuersitas interpretationis inde orta est, quod pro verbo Iadon, quod contendere, disceptare & rixari notat, Græci & Chaldæus legerunt, Iadom, quod morari & permanere inter cætera significat.

LIII.

Hinc variæ oriuntur sententiæ. Nam Origenes in Ps. 38. ita sentit, quod Deus non velit animam impuri corporis habitaculo, quasiq; contagio diutius coinquinari, quod Manichæorum & Pythagoræorum deliriis affine est.

LIV.

Idem, vt est varius, homil. 3. in Esaiam his verbis discrimen inter Christum & alios Sanctos statui affirmat, eò quod in Christo Spiritus Sanctus requieuerit & manserit El. 11. Ioan. 1. in reliquis non item. Quod planè à scopo Mosis alienum est.

LV.

Propius ad rem accedit in lib. 1. de principiis, vbi ait, quod Deus Spiritum Sanctum ab impiis auferat. Neq; tamen id mentem Mosis satis exprimit.

LVI.

Pagninus verbum Iadon deriuat à Nadan, quod est vagina, instar cultri aut gladii, inclusum esse, quasi Deus diceret, Spiritus meus, id est, spiraculum illud vitæ, quod homini inspiravi, non amplius in vagina corporis gestabitur. Quæ interpretatio cum prima illa Originis coincidit, iureq; concidit, præsertim cum nimis contorta sit.

LVII.

Rabini vim equidem vocis hebreæ retinent, & ita vertunt quòd Iadon rixari, contendere, & iudicare significet, sed illi quidem existimant, Deum apud se suo Spiritu disceptasse, quid de homine facere conueniret, tandemq; dixisse, se longioris ea de re disquisitionis pertæsum, decretum habere, quid inceptare velit. Quæ opinio non modo fabulosa, sed etiam impia est.

LVII I.

Hieronymus verò, alios Rabinorum secutus, opinatur, Deum istis verbis hoc velle, quod misericordia sua indignum censet, homines grauius increpare, & atrocius Spiritu, id est, ira sua vindicare

B 3

Quæ



LIX.

Quæ expositio n̄ h̄il ad rem, & scopo instituti prorsus est con-  
traria: si quidem hæc verba non sunt miserentis, sed punire volen-  
tis & supplicium decernentis. Vnde Hugo licet ipse quoq; per  
Spiritus Dei iram intelligat, ita tamen exponit, quod Deus  
hisce verbis decreverit, non amplius paternè castigare & flagel-  
lare induratos homines. Grauius autem in peccatorem decernitur  
cum & ipsa correctio denegatur, vt est in sententiis Prosperii.

LX.

*Es. 26. 10.*  
*Ezech. 21.*  
*10.*

Tutissimum est in hac varietate illud sequi, quod nativa  
verborum vis suppeditat. Atq; ita Spiritus Dei non hominis a-  
nimam, sed sanctum Dei Spiritum significabit. Quomodo enim,  
quæso, anima hominis contenderet cum homine? quasi anima  
separatum quippiam ab homine hominiqu; adversum foret?

LXI.

Verbum autem *ladon* primitus iudicare denotat, vnde est  
*Don*, id est, iudex: ac quia in iudiciis res absq; contentione par-  
tium non agitur, ideo hoc verbum postea contendere & rixari  
notat: Ac quia Spiritui Dei tribuitur contentio, inde liquet,  
quod non de forensi & politico, sed de Spirituali & diuino ius-  
dicio h̄ic agatur.

LXII.

Spiritus enim sancti officium est *ἐλέγχειν* & arguere mun-  
dum de peccato, iudicio, & iustitia *Ioh. 16.* quod per ministros  
verbi quovis tempore exequitur. Quia vero mundus Spiritui  
sancto, Prophetis, Apostolis, Patriarchis, & omnibus ver-  
bi divini præconibus se contumaciter opponit, inde fit, vt con-  
tentiones, disputationes, disceptationes, diuinæq;  
Legis interpretes rixarum autores passim in mundo audiant.

LXIII.

Quam caluminiam Noah effugere minimè potuit, cum  
indefessus fuerit iustitiæ diuinæ præco *2. Pet. 2.* perq; arcæ  
mirificam fabricam mundum condemnauerit *Ebr. 11.* Quod  
etiam *Lotho. 2. Petr. 2. Gen. 19. Eliæ prophetæ 1. Reg. 18. Ie-  
remiæ Ier. 15.* accidit.

LXIV.

Quæ cum ita sint, intelligimus comminationis diuinæ sensu  
entiam, quod nimirum Deus pro iustissima sua ira post  
hac non amplius per organa Spiritus sancti, qualia erant sancti  
illi



illi Patriarchæ, de quibus capite proximo dictum est, ingratis & in malitia obduratis hominibus concionari, peccata illorum redarguere, eosq; ad pœnitentiam revocare velit: iustum siquidem est, ut qui veritatem aspernantur, suis cupiditatibus relinquantur, Rom. 1. v. 26. 2. Thess. 2. v. 10. 2. Tim. 4. v. 3.

LXV.

Initium proinde divinæ vindictæ adversus consceleratos filios Dei & filias hominum est, quod Deus verbum illis aufert, & voluntatis suæ interpretes subtrahit. Es. 3. v. 1. Am. 8. v. 1. 11.

LXVI.

*Quæstio VI. de centum viginti annis.*

Quod Deus ingrato mundo minatur doctrinæ cælestis & ministerii priuationem id pro ineffabili sua clementia ita mitigat, ut non ilico, ut meriti fuerant Spiritum suum per Noam concionantem cohibeat, sed definitum pœnitentiæ tempus indulgeat, annos nimirum centum & viginti.

LXVII.

Iosephus equidem lib. 1. antiquit. cap. 4. censet, quod Deus abrogata priore longæuitate vitam hominum intra centum viginti annos coercuerit: cui etiam Philo in libello de gigantibus accedit, & Lactantius lib. 2. de origin. err. cap. 14.

LXVIII.

Augustinus autem merito hunc errorem reiicit libr. 15. de Ciuit. D. cap. 24. Et Hieronymus rectè ratiocinatur. Habebunt cxx annos ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in cxx annos contracta est. Si quidem inuenimus quod post diluuium Abraham vixerit annos clxxv & cæteri amplius cc & ccc annis. Gen. 11. Rectè igitur Hugo: Inducias dat eis Dominus & locum pœnitentiæ, LXIX.

Cumq; Noah anno vitæ suæ sexcentesimo ingressus sit arcam, benè colligit Augustinus lib. 15. C. D. cap. 24. hunc terminum pœnitentiæ hominibus denunciatum fuisse, cum circa finem quingentorum annorum esset Noe, id est, quadringentos octoginta vitæ annos haberet, LXX.

Perperam autem ibidem Augustinus existimat, quingentos annos, quos Noe compleuisse Gen. 5. 32. commemoratur, cum liberos procrearet, cum præsentem numero annorum cccc lxxx con-

fundit,



fundit, annosq; 48. per Synechdochen à maxima parte quin-  
gentos nuncupati opinatur.

LXXI.

Accuratius hæc pensitat D. Lutherus, quod videlicet Noah  
adhuc cælebs, annos, vt dictum est, 480. habens, mandatum  
de conficienda arca, deq; concionibus pænitiæ exaggerandis,  
diuinitus acceperit, & viginti demum post illius mandati pro-  
mulgationem annis, vxore ducta, liberos genuerit.

LXXII.

Cùm enim videret, frustra se impiam hominum colluuiem  
ad pœnitentiam cohortari, de seminario generis humani con-  
seruando, instinctu diuino, merito sollicitus fuit.

LXXIII.

Quapropter non est necesse, vt cum Chrysoftomo hom.  
25. in Genesin causam inquiramus, cur anni cxx. decurtati fue-  
rint. Censet ille, ideo hoc factum, ne grauioribus peccatis maio-  
ra sibi tormenta & tristiora supplicia attraherent, atq; huc ad-  
fert comparationem Sodomitarum & Tyriorum, cum Caperna-  
itis Luc. 10. Sed quia anni resecti non sunt, ideo nec ista vllave  
alia *αυτοματῶς* causa nobis opus est.

LXXIV.

### *Questio VII. de Gigantibus seu Nephilim.*

Dux scelerum classes, quibus homines improbi diuinam  
iram concitarunt, supra sunt expeditæ, concupiscentia nimirum  
carnis, & concupiscentia oculorum. Tertium flagitium est super-  
bia vitæ, vt Iohannes nominat; eam vero Moses deinceps attri-  
buit gigantibus, quos Nephilim potentes & principes in mun-  
do nuncupat.

LXXV.

De appellatione Nephilim variè argutantur Rabini, sed  
omnium accommodatissima est nominis ratio, quòd tyranni isti  
ab irruendo sint vocati, cum inferiores & pauperiores vi inua-  
derent & opprimerent. Erant enim potentes illa tempestate, vt  
Moses ait. Quemadmodum ea appellatio Num. 13. 34. explicatur,  
& sævæ tyrannorum inuasiones Pl. 12. & 73. & alibi descri-  
buntur. Vnde



LXXVI.

Vnde Iosephus non ineptè tradit, fuisse progeniem insolentem, fiduciaq; roboris omne ius & fas contemnentem lib. 1. antiq. c. 4.

LXXVII.

Platonice sunt fabulæ, quas Philo in libro de Gigantibus comminiscitur de triplici hominum genere, vbi tradit, sacerdotes & Prophetas esse homines Dei, artifices vocari homines coeli, gigantes homines terræ.

LXXVIII.

Fabulosum quoq; est, quod Lactantius inde hausit, qui Nephilim ita describit, quod neq; angeli neq; homines fuerint, sed mediam quandam naturam gerentes, non ab similes censeantur genijs & dæmonijs, de quibus poëta, Socrates & Plato. Lact. lib. 2. de orig. err. cap. 14.

LXXIX.

Etiam autem Moses corporeæ illorum staturæ non meminit, sed Quid Neo  
Iamq; tyrannidē describit: non negat tamē interim, eos alijs fuisse *Nephilim*.  
grandiores. Vnde non vituperandi videntur veteres, qui magno  
consensu vocem Nephilim de Anshei middoth, id est, de homini-  
bus insuetæ magnitudinis interpretantur: idq; è descriptione ex-  
ploratorum cap. 13. Num. Nam vtrobiq; eadem est appellatio Ne-  
philim. Ac licet istud genus, cuius Gen. 6. fit mentio, diluuiο sit  
abolitum, è promiscua tamen chananæorum libidine tanta vicif-  
sim monstra prodierunt, vt monstruosus concubitus monstruoso fæ-  
tu notaretur. Ita quidem sentit Augustin. lib. 1. quæst. in Gen. qu. 3.  
Nazianzenus oration. 27. de pauperum amore: Theodoret: quæst.  
48. in Gen. Amb. libro de Noa & arca cap. 4. Cyrillus lib. 3. in  
Gen. ait: mulieres filiorum Dei mira quædā prodigia & porten-  
ta pepererunt. Deus enim ob illorum effrænatam libidinem &  
ipsam humanorum corporum pulcritudinem deformen reddidit.

LXXX.

Nec tamen eiusmodi gigantes nobis imaginemur, de quibus  
poeta scribit, quod quinto die, è terra sint geniti:

*Tum partu terra nefando.*

*Cæumq; lapetumq; creat sævumq; Typhæa,*

*Et coniuratos cælum rescindere fratres.*

*Ter sunt conati imponere Pelio Ossam*

*Sed licet atq; offe frondosum involvere Olympum.*

C

Quod



## LXXXI.

Quod enim hyperbolica sint poetarum figmenta, Macrobius etiam libro. 1. Saturnaliorum cap. 20. hisce verbis indicavit: Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam impiam gentem deos negantem, & ideo existimatam deos pellere de coelesti sede voluisse. Horum pedes in draconum volumina desinebant, quod significat, nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitae eorum gressu atque processu in inferna vergente. Quod eodem pacto interpretatur Ambros. lib. de Noah & arca cap. 4.

## LXXXII.

Et Nazianzenus in Monodia de vita magni Basilij eruditè sanè fabulam de Cadmaeis gigantibus ad indoctos Ecclesiarum præsules, quorum maxima copia in papali cacarchia, hisce verbis accommodat: Ut gigantes apud Thebas Bæotias, cum Cadmus draconis dentes sœvisset, nati sunt subito armati & inter se bella gerentes: sic item nos eodem die præsules facimus, & cum nihil didicerint, credimus esse Sapientes. &c.

## LXXXIII.

*Quæstio VIII de pœnitudine Dei.*

Quidnam hisce hominum sceleribus quæ hæcenus commemorata fuerunt, apud Deum effectum sit, Moses ita describit v. 5. 6. 7. Et vidit Dominus, quod multa esset malitia hominum in terra, quodque omnis fictio cogitationum cordis tantum malum omni tempore: & pœnituit Dominum, quod fecisset hominem super terra. &c.

## LXXXIII.

Quibus equidem verbis Peccatum ita Moses definit, ut fictionis & cogitationum appellatione liberi arbitrii temerariam assertionem, malique originalis extenuationem Pelagiani & Pontificij vsuetudinem refutet Rom. 7. 18. 19. 20. & 8. 5. 6. 7. 8. 1. Cor. 2. 13. 2. Cor. 3. 5. Job. 14. Ps. 51. Es. 64. & 48. distinctione verò cordis & fictionis in corde, quæ etiam meditatio seu cogitatio vocatur, Manichæam & Flaccianam accidentis seu παρακρησις vitij cum hominis essentia confusionem confutet, Rom. 7. 1. Cor. 15.

pani



LXX X V.

Pœnitere verò Deus dicitur, minimè eam ob causam, quod eiusmodi futuram hominum malitiã ante ignorauerit, quam hominè creasset, neq; etiam quod consilij in diuina mente fuerit inopia & error: multò minus quod dolore vllò perturbetur. Breuiter, non pœnitet Deum παδητικῶς affectiue, sed ἐνεργητικῶς effectiue: non δευπαδῶς, sed ἀνδρωποπαδῶς: Quod bene expressit Hugo verbis Augustini quæ lib. 15. de Civ. D. cap. 25. extant, loquens: Ira Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium, quo irrogatur pœna peccato. Cogitatio verò eius & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neq; enim sicut hominem, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. lib. 83. quæstionum, quæst. 52. & lib. 17. C. D. cap. 7. Eadem mens Ambrosij lib. de Noah & arca cap. 4.

LXXXVI.

Ac quia Noæ decretū hoc diuinæ maiestatis reuelatum non potuit non ingentem animi mærorem adferre, vt statueret satius esse, non conditos fuisse impios homines, quam in peccatis miserimè perire, idcirco id, quod ministro Dei euenit, quasi Deo ipsi euenisset, scriptura commemorat. Eph. 4. 30. Matth. 25. 45. Zach. 2. 8.

LXXXVII.

*Quæstio IX. de Iustitia Noæh.*

Quod porro v. 8. de Noah dicitur, quod inuenerit gratiam in oculis Domini, et v. 9. quod fuerit vir iustus & integer in generationibus suis, quodq; cum Domino ambulauerit: eam quidem iustitiam Chrysostomus hom. 23. super Genesin sic interpretatur, quod de omni Virtute sit intelligenda, sicut Philosophi dicunt, iustitia in sese virtutes continet omnes.

LXXXVIII.

Sed cum scriptura disertè dicat, illū gratiam inuenisse in oculis Dei, manifestū est, quod non operum suorum meritis, sed gratia ac misericordia Dei sit iustus: sicut Deus omnes fideles ἐχαρίτωσεν ἐν τῷ ἡγαπημένῳ Eph. 1. v. 6. Et sicut Maria gratiam inuenit apud Deum, & κεχαρίτωμένη ab angelo vocatur Luc. 1. Perfectio- nis autem encomium non tollit naturæ corruptionem, aliaq; inde polluantia delicta Venialia, ad quæ tegenda Iustus iste misericordia & gratia Dei indiget, sed τὴ ὑποκρίσει opponitur.

C 2

Id



LXXXIX.

Id quod etiam epistola Hebr. cap. 11. hisce perspicuis verbis palam testatur, quod Noah hæres sit factus Iustitiæ quæ est secundum fidem. Vbi autem est imputata fidei in Christum Iustitia, ibi deest priorum meritorum iustitia Rom. 4. Pl. 32.

X C.

Non ineptè vero ibidem Chrysostronus expendit emphasin vocis, Isch. homo seu Vir, cum ille toti generi hominum opponitur & prædicatur homo iustus. Nam cæteri, inquit, ob carnales voluptates, quibus immergi erant, amiserant esse homines: iste in tanto populo hominis imaginem seruauit. Tunc enim homo est, quando virtutem colit. Quibus verò addendum, quod homo is demum sit, qui per regenerationem veterem Adamum exiit & nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis, induit. Eph. 4.

X C I.

*Perfectus  
Noah.*

Ambrosius libro de Noe & arca cap. 11. vocem, in generationibus suis, eruditè examinans: perpensè autem, inquit, additum est: in generatione ista vt scriptura neq; superiores condemnaret, neq; posteriores (fideles nimirum) excluderet, recteq; diluuium factum astrueret interitu generationis eius, quæ non haberet consortiũ æquitatis. Perperam Hieronymus in quæstion. hebraicis, eumq; secutus Lyranus istud encomium ad diminutionem laudis Iusti referunt, quasi in comparatione hominum suæ ætatis, non autem in collatione cum Abrahamo & alijs sanctis fuerit iustus. Adijciendum tamen videtur, hanc vocem non modo oppositam esse improbæ generationi eorũ, qui pereunt, sed etiam complecti familiã Iusti, quæ seruetur: quia Noah erat pater, cuius officium Eph. 6. 4. & episcopus, cuius munus 1. Tim. 3. 3. describitur. Perfectio tamen eius non æstimanda est, sicut perscificiendi sunt ciues ciuitatis Dei in illa immortalitate, qua æquabuntur angelis Dei, sed sicut esse possunt in hac peregrinatione, vt monet Augustin. lib. 15.

de civit. cap. 26.

Soli Deo Gloria.



AB

52

9  
549

ULB Halle 3  
003 140 237



sb.


Wort











17  
PUTATIO BIBLICA VI.

*in qua*

VAESTIONIBVS  
LLIS INTRICATIS, QVAE

ITE SEXTO GENESEOS  
continentur, breuiter  
differitur,

*ad priuatam ouzútkoiv proposta*

à  
MONE GESNERO S.

OGIAE DOCTORE ET PRO:  
*fessore in Acad. VViteb.*

Respondente

CHARIA SOMMERO  
Friedebergensi Silesio.

itur ad diem 8. Febr. loco & horis  
consuetis



VVITEBERGAE,

*Wolfgangi Meisneri, Anno*

M. D. XCVIII.

